

## Religio A

Non propterea Christiana malicia ad pietatem divites humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur, nullomodo enim decet ut in ea vita ubi senatores fiunt laboriosi; ubi fiant opifices ociosi et quo veniunt relictis deliciis suis qui fuerunt prediorum Domini, ibi sint rustici delicati.

Augustinus de opere monachorum.

## Religio B

Non dicatis aliquid proprium sed sint vobis omnia communia et distribuatur vestrum unicuique a preposito vestro victus et tegumentum, non equaliter omnibus, quia non equaliter valetis omnes sed potius unicuique sicut cuique opus fuerit, sicut legitur in actibus apostolorum, quia erant eis omnia communia et distribuebatur universis sicut opus erat. Qui aliquid habebant in seculo quando ingressi sunt monasterium, libenter voverunt illud esse commune, qui autem non habent, non ea querant in monasterio que nec foras habere poterant, sed tamen eorum infirmitati quod opus est distribuatur, eciam si paupertas eorum quando foras erant nec ipsa necessaria poterat invenire, tamen non ideo putent se felices esse quia invenerunt victum et tegumentum quale focis invenire non potuerunt nec erigant sibi mentem, quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant et terrena bona non querant, ne incipiant esse monasteria divitibus utilia, non pauperibus sed divites illic humiliantur et pauperes illic inflantur.

Augustinus de communi vita et regula clericorum.

## Religio C

Et rursus illi qui aliquid videbantur in seculo esse non habeant fastidio fratres suos qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt magis autem studeant non de parentum dignitate sed de pauperum fratrum societate gloriari, nec extollantur si communi vite de suis facultatibus contulerint aliquid, nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas monasterio partiuntur, quam si eis in seculo fruerentur, alia quippe quecumque integritas in malis operibus exercetur ut fiant, superbia vero in bonis operibus insidiatur ut pereant, et quid prodest dispergendo dare pauperibus et pauperem fieri cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo quam fuerat possidendo.

Augustinus ibidem.

## Religio D

Qui infirmi sunt ex prestina consuetudine si aliter tractantur in victu non debet aliis molestum esse nec iniustum videri eis quos fecit aliquam consuetudo fortiores, nec illos feliciores esse putent quia non sumunt quod sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur, quia valent quod non valent ipsi.

Augustinus ibidem.

## Religio E

Quantumlibet vigilet disciplina domus mee, homo sum et inter homines vivo, nec michi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam arca Noe, ubi tantum inter octo homines unus reprobus inventus est, aut melior sit quam domus Abrahe, cui dictus est: Eiice ancillam et filium eius aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est in Malachia, Iacob dilexi Esau autem odio habui. Simpliciter autem fateor caritati vestre coram nostro Domino Deo, qui est testis michi super animam meam, ex quo Deo servire cepi quoniam sicut difficile sum expertus meliores quam qui in mundo profecerunt, ita non sum deteriores expertus quam qui in mundo defecerunt hic arbitror dictum in Apocalipsi: Iustus iustificetur adhuc et qui in sordibus est, sordescat adhuc.

Augustinus in epistola ad Vicencium donatistam.

## Religio F

Apostolici dicuntur qui se hoc nomine arrogantissimo vocaverunt, eo quod in suam communionem non acciperent utentes coniugibus et res proprias possidentes quales habet catholica ecclesia et monachos et clericos plurimos.

Augustinus in libro de heresibus.

## Religio G

Amputetis occasionem turpium nundinarum quibus existimacio vestra leditur et infirmis offendiculum ponitur et ostendite hominibus non vos in ocio facilem victum, sed per angustam et artam viam regnum Dei querere.

Augustinus in libro de opere monachorum.

## Religio H

Latro est et domum Dei convertit in speluncam latronum, qui lucra de religione sectatur cultusque eius non tam cultus Dei quam negociacionis occasio est.

Hieronymus super Mattheum libro 4.

## Religio I

Pudet dicere de cavernis cellularum urbem damnamus in sacco et cinare veluti de ipsis sententiam ferimus. Quid facit sub tunica penitentis regius animus qui alios vult regere et alios iudicare, et a nemine regi, a nemine iudicari?

Hieronymus in epistola ad Marcum.

## Religio K

Sunt ditiores monachi quam fuerant seculares, possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non humerant et sustinet eos ecclesia divites quos tenuit mundus ante mendicos. Nepocianus noster aurum calcans cedulas consecratur.

Hieronymus in epistola ad Heliodorum monachum.

## Religio L

Egyptiorum monasteria hunc tenent morem ut nullum absque opere aut labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter anime salvacionem.

Hieronymus in epistola ad Rusticum monachum.

## Religio M

Natus in paupere domo et in tugurio rusticano, qui vix milio et pane crebracio rugientem satiare ventrem poteram, nunc similam et mella fastidio.

Hieronymus de seipso ad Nepocianum.

## Religio N

Nummum addunt nummo, et marsupium suffocantes matronarum opes venantur obsequiis. Modica esca in hamo ponitur ut matronarum in eo sacculi protrahantur, sic bestie, sic aves, sic capiuntur et pisces; parum tribuunt ut amplius accipiant, que magis venacio est appellanda quam donacio.

Hieronymus ibidem.

## Religio O

Sepe de vita proximorum querimus mutare locum conamur, secretum vite remotioris eligere videlicet ignorantes, quia si desit spiritus non adiuvat locus. Iste enim Loth de quo loquimur in Sodomis sanctus extitit, in monte peccavit. Quod autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens, qui in paradiso cecidit, sed minus sunt omnia que loquimur extra, nam si locus salvare potuisset, Satan de celo non caderet.

Gregorius super Ezechielem homelia 9.

## Religio P

Quia terreni principes magna de Deo humilitate substernunt, pravi homines non ad fraudis argumenta vertuntur, quia enim illos religionem revereri conspiciunt, ipsi cultum religionis assumunt, et bonorum vitam sub despectis vestibis iniquis operibus premunt, mundi quippe dilectores sunt, qui hoc in se quod homines venerantur ostendunt, atque eis qui vere se despiciunt non mente sed veste copulantur, quia presentem gloriam amantes assequi non possunt quam despicientes sequuntur, honores enim fugiunt ut honoribus obvient.

Gregorius 31. libro moralium.

## Religio Q

Multi de inchoata iusticia laudari appetunt, preesse ceteris melioribus concupiscunt, quos plerumque dum iuxta votum presens prosperitas sequitur, multo plus quam prius fuerant de sanctitatis habitu peiores fiunt.

Gregorius ibidem.

## Religio R

Cuncta sollicite fugiens portum monasterii petii et relictis que mundi sunt ut frustra tunc credidi, ac ex huius vite naufragio nudus evasi, quia enim plerumque navem incaute religatam eciam de sinu tuti littoris unde excutit cum tempestas excrescit, repente me sub pretextu ecclesiastici ordinis in causarum secularum pelago reperi et quietem monasterii qui habendo fortiter tenui, quam stricte tenenda fuerit perdendo cognovi.

Gregorius in prologo moralium.

## Religio S

Eo quoque tempore quo ad ministerium altaris accessi, hoc demum ignorante me actum est ut sacri ordinis pondus accipere, quatenus in terreno palacio licencius excubarem.

Gregorius ibidem.

## Religio T

De religiosis et bene ordinatis monasteriis nullus professorum meo consilio nec artiori quidem desiderio sine licencia sui senioris egreditur, egressus tamen si melius invenerit et elegerit, meo nichilominus iam consilio non regreditur ad inferius bonum quod reliquerat et contempserat pro meliori.

Bernardus de penitencia et dispensacione.

## Religio U

Attende diligenter quid diligas, quid metuas non gaudeas vel contristeris et sub habitu religionis animum secularem et sub pannis conversionis invenies cor perversum.

Bernardus sermone 36.

## Religio X

Video quoddam quod sine dolore videri non debet, post aggressam Christi miliciam rursus implicari secularibus rursus terrenis cupiditatibus immergi, cum magna cura erigere muros et negligere mores sub pretextu quoque communis utilitatis verba vendere divitibus et matronis salutationes sed et contra sui imperatoris editum concupiscere aliena, et sua cum lite repetere ita nec se mundo nec sibi mundum cruxifixerunt, ut qui ante vix in suo vico vel opido cogniti fuerunt modo circumvenientes provincias et curias frequentantes, regum noticias principum familiaritates assecuti sunt.

Bernardus homelia 4. super Missus est.

## Religio Y

Video quod non parum doleo post spretam seculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub aliis mitis humilisque magistri gravius insolescere et impacientes amplius fieri in claustro quam fuisset in seculo.

Bernardus ibidem.

## Religio Z

Plerique in domo Dei non paciuntur in contemptu haberi, qui in sua domo non nisi contemptibiles esse poterant, ut quia videlicet ubi a pluribus honores appetuntur, ibi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur.

Bernardus ibidem.

## Religio AB

In humane redarguis opera eorum, quorum refugis onera temerarie obiurgat virum reverentem de prelio mulier mens in domo, dico enim si is qui de claustro est eum qui versatur in populo interdum minus discrete minusve circumspecte sese agere deprehenderit verbi gracia, in verbo, in cibo, in risu, in ira, in iudicacio; non ad iudicandum confestim prosiliat sed meminerit scriptum. Melior est iniquitas viri quam mulier bene faciens. Nam tu qui in tui custodia vigilas bene facis, sed qui iuvat multos melius facit et virilius, quod si implere non sufficit absque aliqua inequalitate vite conversacionis sue, memento quia caritas operit multitudinem peccatorum. Hec dicta sunt contra geminam tentacionem qua sepe viri religiosi episcoporum vel ambire gloriam vel excessus temere iudicare diabolicis investigacionibus incitantur.

Bernardus super Cantica sermone 12.

## Religio AC

Tu qui in congregacione es, vive bene ordinabiliter, sociabiliter et humiliter; ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo.

Bernardus in quodam sermone.

## Religio AD

Qui secundum regulam vivere statuunt, et si non ad unguem ut dicitur totam custodiunt, et si qua pro sui claustrum ritum vel mutant vel pretermittunt a regulari tamen professione non discedunt, dum tamen sobrie et iuste et pie pro moribus vivere non desistunt.

Bernardus in libro de penitencia et dispensacione.

## Religio AE

Claustralis paradus ad suavem spirans austri clemenciam quasi tot floribus vernat quot virtutibus abundat, dum enim diabolus officinas fratrum circuit, debet eum fugare ab oratorio devocio, a refectorio lectio, a dormitorio stramenta vilia, a capitulo paciencia.

Bernardus in quadam epistola.

## Religio AF

Non vultis esse contenti communi vita, non sufficit vobis regulare ieiunium, non sollemnes vigilie, non imposita disciplina, non mensura quam vobis partimur in vestimentis vel alimentis privata prefertis communibus, qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursus de vobis intromittitis? Nam illam qua tociens Deum conscienciis vestris testibus offendistis, propriam scilicet voluntatem vestram. Ecce iterum magistram habetis non me, illa vos docet nature non parcere rationi non acquiescere, seminorum consilio vel exemplo non obtemperare nobis non obedire an ignoratis quia melior est obediencia quam victime. Non legistis in regula vestra quod quicquid fit sine voluntate vel consensu spiritualis patris vane glorie deputabitur non mercedi.

Bernardus super Cantica sermone 19.

## Religio AG

Si quid religionis oritur, quicumque resistit quicumque repugnat plane cum Egyptiis parvulos Israhelitici germinis necare conatur, immo cum Herode nascentem persequitur salvatorem.

Bernardus in quodam sermone.

## Religio AH

Felix domus et beata semper congregacio ubi de Maria Martha conqueritur, nam Mariam Marthe emulari indignum prorsus est.

Bernardus in epistola quadam.

## Religio AI

Professionem tuam habitu et incessu demonstra, ut sit in gressu tuo simplicitas, in motu puritas, in gestu gravitas, in cesso honestas.

Isidorus in sinonimis.

## Religio AK

Qui ad ostensionem sanctitatis pretendit ut aliis quandoque preesse desideret, ille non est discipulus Christi, sed pravitatis sectator existit, quia non pro Deo sed seculi honore studet portare crucis laborem.

Isidorus de summo bono libro 3.

## Religio AL

Abundans est pauperi religio, mediocri sufficiens, tollerabilis diviti, infirmis larga, delicatis compaciens, fortioribus moderata, penitentibus misericors, perversis severa bonis optima; hec sunt beneficia religionis.

Hugo de claustro anime libro 1.

## Religio AM

Quattuor sunt in habitu religionis notabilia, scilicet utilitas et superfluitas, paucitas et preciositas; in vilitate vana gloria et simulacio, in preciositate superbia aut delectacio, in paucitate intollerancia sive desperacio, in superfluitate vero amor seculi non amor celi, amor palatii non paradisi notatur.

Hugo ibidem.

## Religio AN

Habet enim lex claustralium iudices et testes atque consiliarios suos. In lege etenim Domini duo testes sunt: vita et consciencia; duo iudices: meditacio et sciencia; duo consiliarii: amor Dei et proximi. Bonus testis, bona vita, bonus iudex, bona consciencia; coram Deo testis est consciencia; coram hominibus vita.

Hugo libro de claustro anime de duodecim abusionibus.

## Religio AO

Qualis debet esse religionis habitus ostendit apostolus non in veste preciosa et cetera, sed hodie cappa canonici et cuculla monachi non differunt a pallio militis, sed ut ait quidam sapiens: Miles et monachus ex eodem panno partiuntur, ille sibi cucullam, ille clamidem non multum differunt habitus canonici regularis et secularis. Sed si forte regularem videas, archidiaconum vel episcopum te vidisse contendas.

Hugo ibidem.

## Religio AP

Quam detestanda perversitas in monasterio ut ubi fiunt divites laboriosi sint pauperes delicati, qui in seculo pauperiores vixerant quam nunc in claustro vivant et nunc in monasterio querrunt que foris habere non poterant. Mentior ego si non vidi quorum talis paupertas erat quando foris erant, quod nec ipsa necessaria invenire poterant erigentes sibi mentem noluerunt sociari his ad quos foris accedere non audebant, et qui ante conversionem lectulum proprium nusquam habebant nunc si forte voluntas eis fuerit eundi alicubi ornamenta lectuli secum portant. Vidi et ego ni fallor monachum camisia vestitum iocantem et dicentem, carior est stamina quam camisia tunica vero vestiri magna est difficultas sed forsitan dices: Quoniam infirmus erat huiusmodi, immo sanus et petulans et pingui residens equo abundans rebus et curias frequentans, qui tamen ante conversionis habitum pedes ire consueverat, nec sepe lineis induebatur.

Hugo ibidem.

## Religio AQ

Norunt multi quod saturitatem ventris sequitur levitas operis et vanitas mentis, scriptum est enim: Sedit populus manducare et bibere et surrexere ludere, ludere inquit non legere. Sunt qui post dedicati cibi fercula cum in claustro sedeant, non lectioni et silencio, sed rumoribus et curiositati vacant, qui locum loquendi et tacendi nusquam et numquam servant, sed instabiles et ociosi nunc hos nunc illos ad loquendum vocant. Pone, inquit, ori meo custodiam et hostium circumstancie labiis meis; hostium dixit non murum, si enim murus poneretur loquendi licencia omnino negari videtur sed hostium ponitur quod tempore et loco clauditur et aperitur. Est tempus et locus tacendi et loquendi. Aperitur itaque hostium hora constituta, scilicet in claustro lectioni, in capitulo confessioni, in ecclesia oracioni. Item clauditur hostium in claustro confabulacioni, in capitulo contencioni, in ecclesia vane modulacioni.

Hugo ibidem.

## Religio AR

Gaudent multi claustralium cum de regibus fabulantur, dum casus militum narrant, dum pro illis loquuntur a quibus non agnoscuntur, multorum partes defendunt pro multis irascuntur, pro multis litigant, ignorant tamen quod negant aut quod affirmant.

Hugo ibidem.

## Religio AS

An nescis diabolum expulsum a capitulo celi, Adam a capitulo paradisi, Iudam a capitulo Christi? Primum capitulum fuit in celo, secundum in paradiso, tertium in orto, in unoquoque tamen preerat Deus. In primo culpa superbie, secundo inobediencie, in tercio avaricie. De primo dicitur ponam sedem meam ad aquilonem et ero similis altissimo, de secundo dicitur de ligno sciencie boni et mali ne comedatis, de tercio dicitur et retulit triginta argenteos et proiecit in templo. Pena prime culpe casus, secundus labor, tercie laqueus. De prima dicitur vidi Satan tamquam fulgur de celo acendem, de secunda in sudore tui visceris pane tuo, de tercia laqueo se suspendit. His tribus tres claustralium ordines assimilantur, hi scilicet primi quoniam sedem prelacionis querunt et preesse non possunt, alii qui nec obedire volunt, tercii familiares magistris loculos portantes et in occulto detrahentes.

Hugo ibidem.

## Religio AT

Sunt enim quidam qui mente vagi, oculi attoniti, habitu dissoluti plana parietum prospicientes perlustrant, aliud cantant et aliud cogitant. In choro sunt corpore et in foro mente, nunc intus nunc foris exeunt, psalmodie verba proferunt, sed psalmodie sensum non intelligunt. Sunt alii voce dissoluti, qui vocis modulacione gloriantur, non tantum gaudent de dono gracie, sed eciam alios spernunt, tumentes elacione, aliud cantant quam libri habeant, et quanta est levitas vocis, tanta forsitan est et mentis, cantant forsitan ut placeant populo magis quam Deo. Si sic cantas ut ab aliis laudem queras vocem tuam vendis et facis eam non tuam sed suam.

Hugo ibidem.

## Religio AU

Ego autem quomodo accedam qui porto plumam structionis in habitu religionis, ut non placeam moribus sed vestibus, quasi enim structio volatum simulo, sed tantum pedibus terram tango, volito habitu sed tango affectu. Unde et veritas dicit hi sunt qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus sunt lupi rapaces, exterius enim contegor ovis vellere, intus autem sevio cupiditate.

Hugo ibidem.

## Religio AX

Supersticio dicitur vere religioni super addita falsa religio.

Hugo.

## Religio AY

Sunt quidam qui velut conversi ex pristinis moribus nichil abiiciunt, non mente mutantur sed veste, non actu sed habitu; hi sunt qui sermone tantum non opere seculo renunciassent contenti seculariter vivunt, et vicia sua inani professione vite melioris abscondunt, ac religionis imaginarie nomine palliati, opinionem virtutis pro virtute suscipiunt, predicant magna nec faciunt accusant vicia, nec deponunt, publice sibi displicere simulant quod occulte committunt, magni student videri, non fieri.

Prosper de vita contemplativa libro 1.

## Religio AZ

Laudant quorum cupiunt predicacione laudari, ieiunant ut vultus sui pallorem perniciosus laudibus vendant, ad reprehendum alios prompti, sed non paciuntur a quibuslibet vel leviter reprehendi. Ad faciem publicam pacienciam fingunt et in animo iracundie virus abscondunt, ad nocendum parati cum nocendi tempus invenerint, suorum actuum negligentes fiunt aliorum procaci libertate censores. Imprudenter se assumunt virginibus sacris et viduis quibus conglutinantur affectu, ut facilius ab ecclesie quod dictu quoque nefas est quam ab earum communione discedant, qui et si cum illis forte non peccant, tamen male suspicionis de se prebendo materiam, vitam maculis sinistre opinionis infamant.

Prosper ibidem.

## Religio BA

Religionis affectus non solum devocione corporis sed magis archano geritur cordis.

Cassiodorus super Psalmum 43.

## Religio BC

Hec tria studia otiorum sunt in claustro vagacio oculorum, superfluitas verborum, perversitas cogitacionum; hec tria vicia eiiciunt fratrem de claustro.

Cassiodorus super illud Psalmorum: Egrediebatur foras et lo. et cetera.

## Religio BD

Ad professionem nostram pertinet subiectione et abiiectione gaudere, paupertatis studium querere et non solum facultates sed eciam ipsas voluntates de cordibus eradicare. Nichil enim habere interdum res necessitatis est, nichil autem cupere virtutis.

Cesarius in admonicione 25.

## Religio BE

Videte vocationem vestram fratres carissimi, venire ad heremum summa perfectio est, non perfecte in heremo vivere summa damnatio est. Quid prodest si in loco quies teneatur et inquietudo in corde servetur. Si in habitatione sit silentium et in habitatoribus viciorum sit tumultus et colluctatio passionum? Si exteriora vestra serenitas teneat et interiora tempestas.

Cesarius in admonitione 28.

## Religio BF

Verus religiosus debet esse neglector quietis, fugax voluntatis, appetitor laboris, paciens abiectio, impaciens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vicia.

Eusebius in quodam sermone.

## Religio BG

Iuxta sententiam cordis mei, si paradus in hac vita presenti est, vel in claustro vel in scholis est, quicquid enim extra hec duo est, plenum est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, sollicitudine et dolore.

Petrus Ravennensis in quodam sermone.

## Religio BH

Spes fructuum relevat agricolam a labore, fortemque pugilem contemnere facit molestias ictuum spes corone, tibi quoque furetur gravamina claustrum, et grate servitutis officium expectatio iubilii. Nudus athleta fortius dimicat natator exvitur ut fluvium transeat, viator exoneratur a sarcinis ut expedicius currat.

Petrus Ravennensis in quodam sermone.

## Religio BI

Religio est per quam reverenti famulatu ceremonie divini cultus exercentur.

Tullius de natura deorum.